

fecisset. Magis gaudere, quam mirari debemus : quia Dominus noster et Salvator Jesus Christus homo factus est, quam quod divina inter homines Deus fecit. Plus est enim ad salutem nostram, quod factus est propter homines, quam quod fecit inter homines; et plus est, quod vitia sanavit animarum, quam quod sanavit linguos corporum moriturorum.

R. Benedicite Deum cœli, dixit Angelus Raphael, et coram omnibus viventibus confitemini ei : * Quia fecit vobiscum misericordiam suam. **V.** Ipsum benedicite, et cantate illi, et narrate omnia mirabilia ejus. — Quia facit.

Bened. Cujus festum colimus.

Lectio hiiij.

SED quia ipsa anima non eum noverat, a quo sananda erat; et oculos habebat in carne, unde facta corporalia videret; nondum habebat sanos in corde, unde Deum latentem agnosceret. Fecit quod videri poterat, ut sanaretur, unde videri non poterat. Ingressus est locum, ubi jacebat magna

multitudo languentium, cœcorum, claudorum, aridorum.

R. Tempus est ut revertar ad eum qui me misit, dixit Angelus Raphael : * Vos autem benedicite Dominum, et narrate omnia mirabilia ejus. **V.** Confitemini ei coram omnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericordiam suam. — Vos autem. **Gloria Patri.** Vos autem.

Lectio ix.

ET cum esset medicus et animarum et corporum, et qui venisset sanare omnes animas crediturorum, de illis languentibus unum elegit, quem sanaret, ut unitatem significaret. Si mediocri corde, et quasi humano captu et ingenio consideremus facientem, et quod ad potestatem pertinet, non magnum aliquid perfecit : et quod ad benignitatem, parum fecit. Tot jacebant, et unus curatus est, cum posset uno verbo omnes erigere.

Te Deum laudamus. 19.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

I. Missus est Angelus * Raphael ad Tobiam et Saram, ut curaret eos.

2. Ingressus Angelus * ad Tobiam, salutavit eum, et dixit : Gaudium sit tibi semper.

3. Forti animo * esto Tobia : in proximo enim est, ut a Deo cureris.

4. Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam.

5. Pax vobis, * nolite timere : Deum benedicite, et cantate illi.

Capitulum. Tob. xij. c

QUANDO orabas cum lacrymis, et sepeliabas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliabas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Hymnus.

CHriste sanctorum deus Angelorum, Rector humani generis, et Auctor, Nobis sacratum tribue benignus Scandere cœlum.

Angelum nobis medicum salutis

Mitte de cœlis Raphael, ut omnes

Sanet ægrotos, pariterque nostros

Dirigat actus.

Hinc Dei nostri Genitrix Maria, Totus et nobis chorus Angelorum

Semper assistat, simul et beata

Cóncio tota.

Præstet hoc nobis Déitas beata

Patris, ac Nati, pariterque sancti

Spiritus, cujus réboat in omni

Gloria mundo.

Amen.

V. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. **R.** Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nómini tuo.

Ad Bened. Añæ. Ego sum Raphael Angelus, qui asto ante Dominum : vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui beatum Raphaelem Archangelum Tobiae famulo tuo comitem dedisti in via : concede nobis famulis tuis; ut ejusdem semper protegámur custódia, et muniámur auxilio. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Capitul. Quando orabas. **ut supra ad Laudes.**

K. br. Stetit Angelus,
* Juxta aram templi. Stetit.
V. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta. **G**loria. Stetit.

V. Ascendit fumus aromatatum in conspectu Domini. **K.** De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Capitulum. — Tob. xij. c

ET nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a daemónio liberarem. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.

K. br. Ascendit fumus aromatatum, * In conspectu Domini. Ascendit. **V.** De manu Angeli. In. **G**loria Patri. Ascendit.

V. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. **K.** Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

AD NONAM.

Capitulum. — Tob. xij. d

Tempus est ut revertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.

K. br. In conspectu Angelorum, * Psallam tibi Deus meus. In conspectu. **V.** Adorabo ad templum sanctum tuum, et confite-

bor nomini tuo. Psallam. **G**loria. In conspectu.

V. Adorate Deum. **K.** Omnes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Añae et Capitulum de Laudibus. [440]

Psalmi de Dominica, 143. et loco ultimi, Ps. Confitebor... quoniam. 161.

Hymn. ut in j. Vesp. [433]

V. Stetit Angelus juxta aram templi. **K.** Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnif. Aña. Princeps gloriosissime Raphael Archangele, esto memor nostri: hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei.

Commem. simplicis.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

S. Wolfgangi

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. [70] praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nobis aeternae salutis beatum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuisti: praesta quaesumus, ut quem doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per Dominum.

In j. Nocturno, **Lectio- nes de Scriptura occurren- te.**

In II. Nocturno.

Lectio ii.



Wolfgangus, nobili in Suevia genere prognatus, rerum exterarum fuit et sui contemptor egregius, solum ex animo Deum quaerens: honores amplissimos ab Henrico Trevirensium Episcopo sibi oblatos recusavit; illoque demortuo, pollicitationibus aliorum contemptis, monasticam tandem vitam, cujus semper desiderio flagraverat, est amplexus. Sacris ordinibus a beato Udalrico initiatus, cum in Pannoniam praedicandi Evangelii causa se prius contulisset, propter conjunctam in eo eximia cum pietate prudentiam, Othonis imperatoris studio, totiusque cleri et populi acclamatione, Ecclesiae Ratisbonensi rite praeficitur.

K. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocabit ei. — Manus.

Lectio v.

Suscipio episcopatus munere, gregem Domini verbopavit et exemplo, sanctissimisque Ecclesiam temperavit institutis. Monasterio sancti Emmerami, quod jam diu Episcopi administraverunt, restituitis proventibus, magno illius bono insignem virum Romualdum praeposuit. Sanctimonialium coenobium, quod ipse fundaverat, tam sancte instituit, ut collapsa in aliis disciplina eo exemplo sit facile restaurata, novoque pietatis odore capta Brigida, Bavariae ducis filia, sponsum Christum secuta, ad sacras se virgines aggregavit. Bohemis, quo ampliora apud illos fides incrementa caperet, contempto suae ecclesiae detrimento, rejectis aliorum consiliis, proprium dari Episcopum libentissime permisit.

K. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

EGrégiam viri sanctitatem comprobárunť energúmeni, et váriis languóribus oppréssi, quos precatióne sanávit. Divíno afflátus instinctu, sanctum Henricum imperátorem regnatúrum, fratrem ipsíus Brunónem ad episcopátum promótum iri, e soróribus álteram regínam, Abbatíssam álteram fore prædixit. Dénique cum vigínti et ámplius annis in séduli pastóris múnere peráctis, extrémum sibi diem imminére intelligeret, quæ ex usitáta liberalitáte supéerant, per manus páuperum præmisit, sacræque Eucharistíæ viático præmúnitus, in sancti Othmári æde, uti divínitus ántea futúrum accéperat, sanctíssimam vitam pari morte conclúsit, Ratisbónæ in templo sancti Emmerámi sepúltus.

℟. Iste est. [78]

In *ij. Nocturno, Homil.* Ut ignorántiam. *de Comuni ij. loco.* [88]

DIE V. NOVEMBRIS.

S. Zachariæ
Conf. Patris S. Joannis Baptistæ. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter seq. (m. t. v.)

Oratio.

VIgeat, quæsumus Dómine, semper in córdibus nostris divínæ tuæ præsentíæ memória, beáti Zachariæ sanctíssimi Præcursóris tui patris suffragántibus méritis : ut te super ómnia diligétes; ad promissiones tuas, quæ omne desideríum súperant, sine offensióne currámus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Et sit Commem. Octavæ Omnium Sanctorum in utrisque Vesp. et Laud.

In j. Nocturno, Lectioes de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi. **Tom. 5. Hom. ij. cont. Anom.**

Lectio ív.

Uit Zachariás miræ virtútis præclaríque nóminis, sacerdotío præditus, et patrocínium totíus pópuli comméritus apud Deum immortalém : qui Sancta sanctorum ingrèssus, ipsum scilicet penetráre, quod uni fas erat illi inspícere, ac pro pópulo Deo

súpplicans, et Dóminum reddens propítium fámulis, quasi quidam esset intérpres Dei et hóminum, vidit Angelum intra paríetem sacri illíus domicílii stantem, cujus aspéctu ictus, atque expávidus áudiit: Noli timére Zachariá, exaudíta est orátio tua, et ecce Elisabeth uxor tua páriet filium.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℞. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

SED unde hæc verba consequéndi habent ratióne? Ille pro pópulo rogábat, pro peccátis véniam suis consérvis implorábat: hic, Noli timére, inquit, nam exaudíta est orátio tua, atque exaudiéndi indícium addit, filium in lucem ventúrum Joánnem. Vide, quam recte ista sequántur. Cum pro peccátis rogáret pópuli, nasci ex eo debére filium, qui clamáret: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccáta mundi. Ratióne sane

óptima, ita Angelus rétulit, exaudíta est orátio tua. ℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℞. Índuit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Quid ille ad hæc? conspicátus est suam ætátem, suam canítiem, animadvértit suæ uxóris natúram stérilem: atque ita diffidit, et modum quo ita fieret pétiit. Nonne illi seni díxeris ignoscéndum, cum rerum órđinem petat, et legem natúre considéret? Sed tamen Deo nullam véniam meréri visus est. Cum enim ásserit Deus, nullus rerum consequéntiæ, aut natúre necessitáti locus relínquitur. Idcirco moléste Angelus tulit, ne sacerdotíi quidem negótio pepércit. Imo ob idípsum pœnam illi subeúndam cénsuit graviórem. Qui enim plusquam céteri obtinébat honóris, fidem quoque habére debébat céteris ampliórem. Et eris, inquit, tacens, et non póteris loqui usque in diem quo hæc fient.

℟. Iste homo. [105]

In III. Nocturno.
Lectio sancti Evangelii
secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. j.

Fuit in diebus Herodis
regis Judææ sacerdos
quidam nomine Zacha-
riæ de vice Abiæ, et uxor
illius de filiabus Aaron,
et nomen ejus Elisabeth.
Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chry-
sologi. Serm. xcj.

Aurum de terra lé-
gere qui novérunt,
ubi divitem sèse-
runt venam, ibi quidquid
artis est, quidquid labóris
impéndunt : et nos quia in
sancto Zachariæ coeléstem
novimus latere thesau-
rum, in ipso totum quod
sermónis est nostri, quod
vestri auditus est, occupé-
mus. Fuit, inquit, in dié-
bus Herodis regis Judææ
sacerdos quidam nomine
Zachariæ ex vice Abiæ, et
uxor ejus de filiabus Aa-
ron, et nomen ejus Elisa-
beth; erant autem justi
ambo apud Deum. Ambo
justi, quia in ambobus erat
una justitia. Ambo justi,
quia constabat inter eos
non de diligéntia, sed de
sanctitate conjúgium. Am-
bo justi, quia sexu dispa-
res, pares méritis habe-

bántur. Ambo justi, quia
ut erat in duobus una caro,
sic erat in duobus unus
spíritus.

R. Iste est qui ante
Deum magnas virtutes
operátus est, et de omni
corde suo laudávit Dómi-
num : * Ipse intercédât
pro peccátis ómnium po-
pulórum. **V.** Ecce homo
sine queréla, verus Dei
cultor, ábstinens se ab
omni ópere malo, et pér-
manens in innocéntia sua.
— Ipse.

Lectio vij.

Erant, inquit, justi am-
bo ante Deum. Et ubi
est illud, Non justificábi-
tur in conspéctu tuo om-
nis vivens? Ante hómines
forte quis putétur justus,
quia hómines, ut culpas
cóporum norunt, sic ví-
tia mentis ignórant. Ante
Deum vero, cui péctoris
claustra patent, quem co-
gitatiónum secréta non
latent, quis innocens ha-
bétur et justus? Estne ho-
mo, qui corde non peccet,
non cogitatióne derelín-
quat, non offéndat dubi-
tatióne, non lapsum trepi-
datiós incurrat? Móyses
dúbitat, Aaron déviat,
Petrus negat, et quis ju-
stus? Et quómodo ambo

justi ante Deum? Ante
Deum, sed semper. Ambo
justi apud Deum, non la-
bóre, sed grátia. Audi
Apóstolum : Justificáti
gratis per grátiam ipsius.

R. Sint lumbi vestri
præcincti, et lucernæ ar-
dentes in mánibus vestris:
* Et vos símiles homínibus
exspectántibus dóminum
suum, quando revertátur
a núptiis. **V.** Vigiláte er-
go, quia nescítis qua hora
Dóminus vester ventúrus
sit. — Et vos. Glória. Et.

Lectio ix.

Erant, inquit, ambo
justi ante Deum, ince-
dentes in ómnibus man-
dátis et justificatióibus
Dei sine queréla. Inceden-
tes, dixit, ut eos osténde-
ret cucurrísse virtútibus,
non stetísse : et ambulásse
in via justitiæ, non sedís-
se; nec remansísse in íti-
nere mandatórum, sed ad
mandatórum plenitúdi-
dem pervenísse. Inceden-
tes in ómnibus mandátis
et justificatióibus Dei
sine queréla. Beáti quos
pécutit, non vulnerat
crimen; sed beatióres isti,
quos tétigit nec queréla.
Sine queréla. Si puerítia,
si adolescéntia, si juven-
tus sine queréla est, qua-

lis horum senéctus? Si
tale inítium, qualis finis?
Ascendísse justificatió-
num vértices, colles man-
datórum, nec in áliquo
titubásse, est grátia sin-
gularis, est única felici-
tátis insigne.

Te Deum laudámus. 19.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

S. Stanislai Kostkæ
Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf.
non Pont. [97] præter se-
quentia. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui inter cétera
sapiéntia tuæ mirá-
cula étiam in ténera ætáte
matúræ sanctitátis grá-
tiam contulísti : da quæ-
sumus, ut beáti Stanislái
exémpló, tempus instánter
operádo redimétes, in
ætérrnam ingredi réquiem
festinémus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Stanisláus senató-
ria Kostkárum
gente ortus in Po-
lónia, quam olim esset
militiam secutúrus, no-
men Jesu prænuntiávit
paritúre matris grémio
divinitus inscriptum. Vir-

ginitatem adhuc puer ita coluit, ut paterna in mensa si quid minus pudice dictum audisset, præ horrore exanimis corrüeret. Ad Viennense in Austria seminarium studiorum causa missus, non minus exemplo sodalibus, quam veneratiõni fuit. Coactus inde in Lutherani hospitis ædes migrare, ibique a Paulo fratre ad liberiorum vitam omni etiam asperitatum genere incitatus, domesticum bellum toto biennio constantissime sustinuit, ad æternam se, non ad caduca natum affirmans. Itaque unicum illi erat rerum cœlestium desiderium, perpétua cum Deo consuetudo, cultus Deiparæ adeo tener, ut matrem sua vîssime appellaret.

✠. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductõribus tutavit illum :

* Et dedit illi claritatem æternam. ✠. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

Quotidianæ fratris vocationi crebra ipse jejunia, flagella, aliisque

insontis corpusculi cruciatus adjiciens, lethalem in morbum incidit. Quo ingravescente, cum demonem horrendi canis specie insipientem signo crucis ter fugasset, sacrum Viaticum, quod in hæretica domo decumbens frustra ab hominibus petebat, ab Angelis accepit. Mox ad pueri Jesu complexum a beatissima ejus Matre comiter admissus, ac Societati jussus nomen dare, subito convuluit. Sed cum aditum ad illam patris timor in Germania præcluderet, peregrini habitu, solus, pedes, mendicus fugam arripit, certus non sistere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei beneficio prosperum fuit. Nam præter alia, Pauli profugum fratrem jam assequentis equi, immisso divinitus torpore, constituerunt; et Stanislaus Angelorum pane iterum angelico ministerio refectus, post duodecimas centena passuum millia, tandem Romæ in Societatem Jesu a sancto Francisco Borgia Generali præposito meruit cooptari.

✠. Amavit eum Dõmi-

nus, et ornavit eum : stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ✠. Induit eum Dominus loriam fidei, et ornavit eum. — Et.

Lectio vi.

TIronis emeriti virtutes in religiosæ vitæ palæstra splendidius eluxere. Caritas præsertim erga Deum, in quem assidue, alienata a sensibus mente rapiebatur. Inde illi facies semper accensa, nonnquam radians, perennes lacrymæ, ardor pectoris tantus, ut media quoque hieme foret ingesta identidem gelida temperandus. Itaque amore verius quam febris æstuans, die assumptæ in cœlum Virgini sacro, ad ejus triumphalem pompam propius, ut optaverat, spectandam, ab ipsa beatarum Virginum choro stipata vocatus est ex Quirinâ domo probationis, anno innocentis vitæ decimo octavo, operum plenior quam dierum. Multis post obitum miraculis in sua præsertim Polonia enituit; cujus armis contra formidabiles Turcarum exercitus spectabilis e cœlo affluit non semel, et civitates alias peste,

alias incendio liberavit. Quamobrem Clemens decimuseum inter primarios totius regni patronos constituit : Benedictus vero decimus tertius (quod a Clemente undecimo jam pridem fuerat decretum) in Sanctorum numerum retulit.

✠. Iste homo. [105]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vii. Cap. xix.

In illo tempore : Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. In Ps. cxvij.

Uid parvulus, nisi humilis? Hæc sunt mirabilia testimonia tua Domine, quæ scrutata est anima parvuli hujus : et ideo invenit, quia humiliatus est, et parvulus factus est. Quis enim facit mandata tua, sicut facienda sunt, id est ex fide, quæ per dilectionem Dei operatur, nisi ejus in corde per Spiritum sanctum ipsa dilectio diffundatur? Hoc etiam iste parvulus confitetur : Os meum, inquit, aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tuo deside-

rábam. Quid desiderábat, nisi fácere mandáta divína? Sed non erat unde fáceret infirmus fórtia, et párvulus magna. Apéruit os, cónfitens quod per se ipse non fáceret, et attráxit unde fáceret.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et permanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

Junior sum ego, inquit, et contéptus: justificatiónes tuas non sum oblítus. Non sicut inimíci mei, qui oblíti sunt verbórum tuórum. Vidétur autem minor ætáte non oblítus justificatiónes Dei, dolére pro inimícis suis ætáte majóribus, qui oblíti sunt. Nam quid est, Júnior ego non sum oblítus, nisi illi majóres oblíti sunt? Sed contéptum se dicit hic júnior: ideo factus est major, quia ignobília et contemptibília mundi elégit Deus, et ea quæ non sunt, tamquam

sint, ut ea quæ sunt, evanéscunt. Et ecce sunt novíssimi, qui erant primi: et primi, qui erant novíssimi.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a nuptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. **Gloria Patri.** Et vos.

Lectio ij.

Iste autem júnior non est oblítus, quia non suam vóluit habére justítiam, sed Dei; de qua étiam nunc dicit: Justítia tua, justítia in ætérnum. Propter hanc passus est persecutiónem júnior a majóre, ut diceret júnior quod séquitur: Tribulatio et necessitas invenérunt me; mandáta tua meditatio mea est. Sæviant, persecuántur, dum tamen mandáta Dei non relinquántur, et ex ipsis mandátis étiam qui sæviunt, diligántur. Intelléctum da mihi, et vivam. Intelléctum poscit iste júnior, quem si non habéret, non super senióres intelligeret. Sed eum

poscit in tribulatióne et necessitate, quo intélligat quam sit contemnéndum, quod ei possunt auferre persequétes inimíci, a quibus se dicit esse contéptum. **Te Deum. 18.**

DIE XXV. NOVEMBRIS.
VEL ALIA POST XV. AUG.
S. Tharsicii
Acolythy, Mart. Duplex.
Omnia de Comm. unius
Mart. [27] præter seq.

IN I. VESPERIS.

Capit. Beátus vir qui suffert.

Hymnus.

Quotquot ad sacras satiatis aras
Cárnibus divis ánimam,
fidéles,
Nóbilem miris méritis ministrum
Dicite Christi.
Ille iniquórum mánibus treménda
Ne daret Jesu sacra, quæ gerébat,
Fortis obsistens méruit viréntem
Fúndere vitam.
Impiæ stipant júvenem cohórtés,
Impetunt, cædunt, fériunt trahúntque,
Ipse complexu válido sacráta
Múnera servat.

Servat invíctus, fugiénte vita:

Victa discédit manus impiórum:

Tum capit Martyr méritam beáta

Sede corónam.

Qui facis fortes, Deus, atque palmas

In tuis gaudes fámulis referre,

Sint tibi grates, tibi sit perénis

Gloria laudis. Amen.

V. Glória et honóre.

Ad Magnif. Añá. Fasciculus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur.

Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus: ut sicut divína laudámus in sancti Tharsicii passióne magnália; sic indulgéntiam tuam piis ejus precibus assequámur. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

Hymnus ut in j. Vesp.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.**Lectio iij.**

Tharsicius Acólýthus quo témpore in Christiános, auctóre Valeriáno Augústo, desævítum est, Románam

Ecclēsiā praeclāro martyrio illustrāvit. Illi quāvis adolescētulo per eam persecutiōnis tempestātem munus sane grave demandātum fūerat deferēndae clānculum ad fideles captivos divīnae Eucharistiae. Accidit vero ut id officii obeūntem ethnici insectatōres deprehēderint. Dissimulābat ille quidem, ut pōterat, quā magna apud se gestāret : at vero incēssus, oculi, vultus ex caritate nīmia rubescens, Deum in ipso praesentem prodiderunt. Ita superante divīno amore cavēdi stūdiū, exquisitam hōstium indagatiōnem non effūgit.

R. Honēstum fecit illum Dōminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductōribus tutāvit illum :
* Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Descenditque cum illo in fōveam : et in vīnculis non dereliquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

Suspiciati enim id quod erat, eum christiana mystēria, quae vocabant, occultare, illico invadunt : jubent proferre quod gerat. Negat ille se sancta umquam datūrum cāni-

bus, consertisque ad pectus ulnis, Christo Deo fretus, divīnum tuetur pignus. Illi contra obniti omni vi adolescētis brachia divēllere, at nihil proficere. Tum fūstibus eum caedentes, lapidibus etiā obruēntes interficiunt. Quo admisso scelere, ad aliud longe tētrius aggrediuntur : ardent cupiditate violādi, quae subtecta mystēria sint. Hoc tamen illis, prohibēnte per miraculum Deo, haudquāquam succēssit. Itaque in exānima membra incūmbunt, studiōsa inquisitione sacrātum corpus perquirunt; perscrutantur vestes diligentissime. At vero sive quod Christus sua sacra efficeret mirabiliter invisa, sive quod ea intra pectus Martyris in ipso certamine ut sustentarent pugnāntem, haud minōre prodigio penetrarint; nihil quidem illi sacramentōrum Dōmini invēniunt. Ita rei novitate et arcana religione percūsi, fugam arripiunt.

R. Desiderium animae ejus tribuisti ei Dōmine,
* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.
V. Quoniam praevenisti

eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. — Et.

Lectio vij.

Corpus fortissimi Martyris clam a fidelibus elatum, in cœmetērio Callisti magno cum honore conditum est. Cujus postea tumulum beatus Damasus Papa praeclāris versibus atque insigni decoravit praecōnio, in quo invictum adolescēntem Stēphano Protomartyri ob passiōnis similitudinē aequare non dubitavit. Ossa dein beati Tharsicii e cœmetērio Callisti in basilicam sanctorum Xysti et Caecliae sunt illata, atque in sepulcro beati Zephyrini Papae reposita : quae demum, Paulo primo Pontifice maximo, simul cum plurimis sanctorum Martyrum reliquiis in aedem sancti Sylvēstri in capite translatae sunt. **R.** Stola. [37]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joānnem.

Lectio vij. Cap. vj. f

In illo tempore : Dixit Jesus turbis Judaeorum : Caro mea, vere est cibus : et sanguis meus, vere est potus. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. **Tract. xxvj. in Joann. post medium.**



Morunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Intelligite fratres mei, quid dixerim. Homo es, et spiritum habes, et corpus habes. Spiritum dico, quae anima vocatur, qua constas quod homo es : constas enim ex anima, et corpore. Habes enim spiritum invisibilem, corpus visibile. Dic mihi, quid ex quo vivat? Spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis, qui vivit : qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit. Quid respondet omnis, qui vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi? In corpore esto Christi.

R. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.
V. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus